



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1861

CLI. Bischof Philipp von Camin bestätigt die Altarstiftung in der Kapelle
des heil. Geisthospitals zu Prenzlau, im Jahre 1374.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55721)

CLI. Bischof Philipp von Camin bestätigt die Altarstiftung in der Kapelle des heil. Geists-
hospitals zu Prenzlau, im Jahre 1374.

In Nomine sancte et indiuidue Trinitatis Amen. Phylippus, Dei gracia Episcopus Ecclesie Caminensis ad perpetuam rei memoriam. Cura pastoralis officii nobis commissi mentem nostram sollicitat, vt vbi fidelium deuocionem circa diuini cultus augmentum versari conspiciamus, sollicitate caueamus, ne quod piis deputatum vsibus redeat ad vsus prophanos, Quod tunc recte facere credimus, quando ea, que nostre confirmacionis ordinarie indigent munimine per literas nostras authenticas stabilimus. Sane vidimus et audiimus literas honestarum Dominarum videlicet Elizabeth, relictæ Henningi Slepeckow et Beatricis, relictæ Conradi Gultow, quondam oppidanorum in Primzlaw, sub certo instrumento publico super fundacione et instauracione vnus noui altaris siue Vicarie in Capella Hospitalis sancti spiritus ibidem in honorem omnipotentis Dei sueque gloriose matris virginis marie nec non Petri et Pauli, Mathei, Thome et Bartholomei Apostolorum beatorum de consensu et licentia honorabilis viri Domini Hinrici de Delow, Prepositi ac religiosarum Dominarum Margharete de Jaghow, Abbatisse, katharine, Priorisse totiusque conuentus sanctimonialium in Primzlaw, cum vno manso, viginti quatuor marcas argenti Brandeborgensis valente, per ipsam Elifabeth et duorum ortorum in aggere noue ciuitatis Primzlaw situatorum et triginta duas marcas Brandeborgensis argenti valencium per Beatricem ad huiusmodi altaris dotacionem deputatorum et assignatorum ac super iuris patronatus ordinacione et referuacione, altaris eiusdem nec non aliis quibusdam articulis, per Altaristam pro tempore ad sepe dictum Altare Canonice institutum tenendis et obseruandis confectas, non abolitas nec in aliqua sui parte viciatas, sed sanas et integras, omnique prorsus suspicionis vicio carentes, quarum tenor sequitur in hec verba. (Urkunde No. CXLIX.)

Nos igitur prefatarum Dominarum Elizabeth et Beatricis Relictarum ciuium in Primzlaw nobis humiliter supplicancium precibus condignis inclinati premissi Altaris fundacionem et instauracionem, ejusque cum dictis mansi et ortorum, quinquaginta Marcas argenti Brandeborgensis valencium dotacionem et redditus cum dicta summa pecunie comparatos aut in futurum comparandos deifice et honeste, iuris patronatus ordinacionem et referuacionem cum omnibus et singulis suis articulis et clausulis licitis et honestis secundum modum et formam in hiis scriptis contentam ratificamus et approbamus, dictumque mansum et ortos ante dictos uel pecuniam secundum valorem eorum inde prouenientem et deriuantem aut redditus cum prefata summa pecunie comparatos, uel qui possunt comparari in futurum, in nomine Domini presentibus nostris literis confirmamus. Inhibentes sub pena anathematis et maledictionis eterne, ne potestas secularis, seu quiuis alius, cuiuscunque status uel condicionis fuerit, se de manso et ortis sepe dictis uel pecunia ab eis proueniente seu redditibus comparatis aut comparandis aliquo modo intromittat, sed ipsius Altaris Altaristam pro tempore Canonice institutum ipsis libere et quiete vti et frui permittat, sicuti omnipotentis Dei indignacionem et nostrum Canonicam euitare voluerit vltionem. In cuius rei testimonium nostrum sigillum majus presentibus est appensum. Datum et actum Gultrow, Anno domini M^o. CCC^o. reptuagesimo quarto, sabbato quo Venite, adoremus in Ecclesia Dei cantabatur.

Nach einem Gevialbuche.